6.

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*



QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-ſeptimâ menſis Januarii, anno Domini M. DCC. LXXIV.

M. PETRO-JOSEPHO MACQUER, Regiæ Scientiarum Academiæ Taurinenſis & Pariſienſis Socio, Cenſore Regio, Chemiæ in Horto Regio Profeſſore à Rege deſignato, Doctore Medico, Præſide.

An lui Venereæ ſublimatum corroſivum?

I.



ORBEM ferè univerſum devaſtabat venerea lues, & novis quotidiè famoſa funeribus, quæſitas irridebat artes, cùm celeberrimus Medicus *Carpi*, hujus peſtis antidotum in Mercurio detexit. Jam evaneſcere incipiebat opinio, quæ mineralem illam ſubſtantiam inter venena recenſebat & in cutis defœdationibus, quantâ cum utilitate adhiberetur, Arabum ſchola docuerat. Abſciſſum itaquè, quodammodo apparuit humanitatis illud flagellum, & mercurialis unguenti applicatio, ad fugandos triſtes errabundæ veneris effectus, diù, ſolaque invaluit. Sed ab interno mercurii uſu, majora adhùc commoda ſperantes Medici, ipſum etiam in ſubſtantiâ farinâ, ſaccharo, aut therebentinâ extinctum ſuaſerunt, donec, prælucente Chemiæ face, audaciores facti, mercurialium productorum vires etiam experiri ſuſceperint. Tantâ vi pollebant omnes illæ præparationes, & præcipuè quæ ex unione mercurii cum variis acidis mineralibus emergebant, ut quibus mediis edulcorarentur, ſollicitè inveſtigaverint. Dùm verò draſticam ipſarum qualitatem infringere, multo labore conabantur, omnis earum virtus evaneſcebat, & illa tantùm, quæ minerali propria erat ſubſtantiæ, reviviſcebat; aut cùm parva in ipſis mercurii quantitas ingrederetur, ut inefficaces in luis venereæ curâ, ablegatæ fuerunt. Inter eas cauſticâ vi horrendum diſtinguebatur ſublimatum corroſivum. Sceleſtis tantùm manibus deſtinatum, ab omnibus ferè habebatur; cum (hærentibus præ ſtupore animis) in immortalis *Boerhavii* Chemiâ legeretur, metallicum illud ſal, in morbis inſanabilibus plurimis, mira eſſe patraturum. Eruditiſſimi illius Medici prudentia, cognita in omnibus artis ſuæ doctrina, ipſum temeritate, aut ignorantiâ incuſare non ſinebant. Sublimati igitur vires experimentis confirmare allaboraverunt celebres in arte viri, & in ſiphylidis curatione victricia præcipuè ſuppeditaverunt auxilia. Et revera, tetram illam luem eradicare debet illa præparatio ſi ità edulcorari poſſit, ut ingeſtâ, deleterii ex ipſâ nulli ſoboleſcant effectus, & ſpecifica mercurii vis in ea magis adhuc exaltetur.

II.

QUI potentioribus remediis morbos depellere ſatagit, eorum naturam calleat, neceſſum eſt. Perpendamus igitur quid ſit ſublimatum corroſivum, & undè ſua procedat cauſtica qualitas.

Sublimatum namque corroſivum eſt ſal cum exceſſu acidi, exurgens ex connubio acidi marini cum mercurio. Acida autem omnia, ſicut ipſa nobis ſuppeditat diſtillatio, adeò cauſtica ſunt, ut partes corporis quibus applicantur, corrodere valeant, & eò major eſt eorum deleteria virtus, quò magis ſuo phelgmate ſpoliantur. Metallis injecta

* *Auctore* M. GUILBERT, *anno* 1765.

ipfa diffolvunt, &, ulteriori elaboratione, cum ipfis varia falia conftituunt, magis aut minus cauftica, folubilia.

Cum autem ratione dephlegmationis, crefcant liquoris acidi caufticæ vires, quò major humidi quantitas ipfi reftituetur, eò magis etiam decrefcere debent, & fi non abfolutè evanefcant, infenfiles adeò fieri poffunt, ut tunc corpora quæ tangunt, non ampliùs deftruere, vix quidem guftus organum ferire queant.

Tali fub formâ confiderati ifti liquores, jucunda quam linguæ imprimunt fenfatio, & ipfius fimilitudo cum acido fapore, fructuum quos, æftuante Sirio, tam liberali manu profundit natura, Medicos impulere, ut ipforum internè fumptorum virtutes experirentur. In ipfis brevi detecta fuit eadem quæ fructibus horæis propria eft antifeptica, temperans, refrigeranfque virtus ægris optatam opem præcipuè ferens, in ardoribus quorum fomes erat putrida colluvies. Hinc acida mineralia nullo modo effentialiter effe venenofa innotuit, quamvis periculofiora ex ipfis erui poffint deleteria. Dùm enim in maximâ eorum concentratione, mineralibus focientur particulis, graviora adhuc evadunt, & eorum tùnc corrofiva vis eminet. Mercurio nupta, variis, ut jam retulimus, originem præbent mixtis, quæ ab acidis tantùm fuam mutuantur caufticam facultatem, In mercurio namque nullo imprimis adulteratum connubio, corrofivam vim exiftere, numquam experientia docuit. Strages ergo quas adeò funeftas edere valet fublimatum, ab acido marino pendent, & imprudenter utenti necem eò certiorem inferet, quò liquor acidus fub formâ vaporis, ignis vi, cum mercurialibus globulis fic etiam elevatis, arctiori vinculo connectitur; fed ex eo proceffu fal metallicum quod emergit, in aquofis liquoribus perfectè diffolvi poteft, ficque prudenter adminiftratum, medicamentofis infignietur dotibus toxicum, quod nunc vitæ infeftiffimum habebatur.

I I I.

SIMILI enim artificio frænabitur deleteria fublimati vis, ac acidorum cauftica qualitas, cum ab ipfis tantùm illam mutuetur. Acida verò, ut experientia conftat, in aquofis foluta liquoribus, mitefcunt. Medium itaque quo fublimati vires, ut & acidorum, ad gradus componamus infinitos, ipfa nobis fuppeditabit diffolutio. Tunc enim quodcumque fit liquoris folventis volumen, ipfius quævis portio, foluti falis proportionatam quantitatem continet, & cum illimitata fit illa divifio, minimæ tantùm partes dofis minimæ corporis foluti, vifcera noftra fubibunt, & fefe cum lymphâ, fanguine, & humorum alveo femper immifcendo, majorem adhuc fubdivifionem experientur. Sed magis caufticum femper erit fublimatum, quàm acidum marinum. Illius namque guttula in aquæ uncia extenfa, infenfilis fere eft, fublimati verò granum, in æquali aquæ quantitate, folutum, adhuc horrenda patrabit infortunia, fed folutionis ope, quantum volueris, ipfum dividere potes, & fic centefimam, ducentefimam, & millefimam quidem grani partem adminiftrabis. Luce nonne clariùs patet, fublimatum tunc nullo modo periculofum effe, & ad inertiam quidem reduci poffe; aft gradatim iterum afcendendo, dofim obtinebis quæ tutò & efficaciter ufurpari poterit.

Quot & quanta commoda præftet in praxi medicamentorum folubilitas, ex his etiam innotefcit, pulveres eorumque dilutio numquam tanta tamque pretiofa fuppeditabunt, metallicæ namque partes, in pulverem tenuiffimum quidem reductæ, fi diffolvi nequeant, nullam alterationem patientur, & ubique femper eædem erunt. Sed cum folutio, potùs quantitate, & cum liquoribus noftris mifcelâ, majoris adhuc capax fit extenfionis, tunc acerrimi quidem mixti particulæ, debiles tantùm, fed falutares femper exerent effectus, fi præcipuè natales ducant è fubftantiis, quæ fpecificis inftructæ virtutibus, potentiora quotidiè fuppeditant remedia, quorum ope deteriores morbos Medicina debellat.

I V.

UT autem dignofcamus, an fublimatum fic diffolutum, virtutibus fuis non defraudetur, & dofis exiftat, quæ cum efficaciâ adminiftrari poffit, hîc, fola confulenda venit experientia, ficut, & ipfâ ducente, medicamentorum vires inquirendæ funt. Hic ratiocinia deficiunt, & nemo unquàm, folâ ingenii acie, cujuflibet fubftantiæ proprietates detexit, quin priùs ipfas experimenta prodiderint.

Externè applicati cùm palàm innotefcat fublimati cauftica vis, latere diù non potuit. Sed fuâ in aquofis folubilitate, & folutionis extenfione, cum imminuita an nihilari quidem poffit, internum ejus ufum, & dofim quæ efficaciter ageret, experiri medicos nihil vetebat. Obfervationibus noftris paginam adimplere poffemus; fed cùm celebriores Europæ Medici, hujufce remedii patronos jam fefe declaraverint, quid valeret noftra authoritas?

Ne tamen in re tam feriâ, aliquid neglexiffe videamur rationes etiam, quæ felicem fuffulciunt experientiam, hic fubnectere liceat.

Quodcumque corpus, aliquâ virtute potens, majori, aut minori activitate pollet. In exceffu femper nocet, debilitatum, inefficax eft, folum præftat, inter extrema, medium. Ignis ipfe rapido fi volvatur turbine, vorat omnia, omnia fine igne marcefcunt, moriuntur, moderatus omnia vivificat Entia. Medicamenta fimiliter, exceffivâ fi adhibeantur dofi, venena funt; fi debiliori, inefficacia; fola debita quantitas cûm utilitate operatur. Nemo namque fennæ libræ decoctum impunè hauriret, guttulæ quædam inutiles deprehenderentur, tres aut quatuor drachmæ commodè alvum ducunt.

Cur igitur ex tam generali regulâ fublimatum exciperetur? Quotiès etiam non fine voluptatis fenfu obfervavimus ægrotantes noftros, tertio jam die quo fublimato utebantur, ipfius grana duo cùm vix affumpferant, notabilem in omnibus mali fymptomatis experiri mutationem. Quotiès ulcera generationis partes depafcentia, veluti incantamento, curata mirati fumus. Adeò enim eft intima, & illiminata fublimati cum liquidis noftris mifcela, ut ftatim atque fluidorum Oceanum ingreditur, omnes limphaticæ partes cum ipfius moleculis confundentur, magis ac magis immifceantur, & partium metallicarum contactu atterantur, & dividantur. Quod ut magis adhûc inconcuffum maneat, ulceris venerei naturam, & quid ad ejus curationem neceffarium fit, expandere fert animus.

Dùm œftro titillata venereo genitalia turgent, & coitu impuro polluuntur, ipforum aperta fubit abforbentia vafa fiphylitica lues; & lympham quibus irrorantur, inficit. Viru contaminatus ille liquor, in canalibus fuis hæret, ipfa diftendit, & puftulam efformat, quæ debilibus vafis, & leviffimâ pelle cooperta, facilè difrumpitur. En, ulcus adeft, ex cujus fuperficie, vaforum apertorum ofculis, acris exfudat, & femper virulentus ichor, qui ipforum rodens extrema, in largum & profundum continuò ferpit. Hocce mali genus nullâ aliâ arte certè curabitur, nifi illius lymphaticæ guttulæ, quam eructant vaforum ofcula, virulentia corrigatur. Tunc enim ad cicatricem omnia natura fuppeditabit. Quotiès itaque in remedio internè fumpto, talis erit proprietas, ut hunc effectum, alio abfque auxilio, patrare poffit, afferendum erit eum ad ipfam, quam memoravimus virtutem, tantùm referendum effe. Sic autem fe habent fublimati virtutes, ut primis ab ipfius ufu diebus fefe exerant, à capite ad calcem, venerea aggrediantur fymptomata, & ipfa deleant. Quòmodo autem concipiatur actio quâ virus venereum deftruere valeat fublimatum, certum eft quod folus contactus inter lymphaticas partes quibus fiphylitica lues inhæret, & mercuriales globulos, mali curam abfolvere poffit. Nec magna mercurii quantitas, ad hunc contactum perficiendum neceffaria eft, fi quædam grana, fed ad infinitum divifa, eum producere queant. Mercurii namque dofis quæ huc ufque ad fiphylidis curationem adhibita fuit, inefficaciam illius, quæ cum fublimato introducitur non probat, fed è contrà quàm inutilis fit quantitas, quæ in aliis mercurium adminiftrandi methodis fuit ufitata, omnibus apertè demonftrat. Vires enim vitæ non fufficiunt, ut mercurius adeò dividatur, ac in fublimati diffolutione, ficque non fine magnâ ipfius quantitate, contactus ille generalis partes minerales inter & lymphaticas, in quo cura confiftit, obtinetur.

V.

HIS innixi principiis, varia quæ nobis proponi poffunt facilè diluemus objecta. Obgannunt enim aliqui, & clamitant, fublimatum in quibufdam corporis partibus nidulari poffe, ibique deleteriam fuam vim exerere. Sed quænam eft illa quantitas quàm fic fe congerere poffe, pertimefcunt. Jam una, diftributione generali, totam corporis

habitudinem irroravit, altera verò per omnes ſenſibiles, aut inſenſiles effugere debuit excretiones. Fieri aliundè non poteſt illa collectio, quin reſolvatur mercurii cum acido conſortium, & illa decompoſitio, nullo modo nocere valet. Eſt enim parva mercurii, & acidi marini quantitas, nullius actionis manifeſtæ capax. Omnibus aliundè notum eſt, nullâ certiori viâ periculoſos hujuſce ſalis effectus enervari, quam ſi occurrat ipſi mixtum, quo mediante, ſua operetur decompoſitio. Non ità verò res ſe haberet, & multò periculoſior reverà deprehenderetur, ſi, ut inſtant alii, divortium cum liquore ſolvente faceret ſublimatum. Sed contrà hocce periculum ſeſe obfirmare difficilis non eſt negotii. Satis enim eſt perpendere, hocce divortium nullâ ſtabilitum eſſe ratione, omnibuſque diſſolutionis notionibus obverſari. A ſolvente liquido ſalia non ſic diſcedunt, præcipuè ſi ſatis extenſa ſit eorum diſſolutio, multò minùs adhùc, ſi ſolvens fluidum, ſicut corporis humani liquores, perpetuò caleat, & moveatur. Sal marinus ipſe, quo omnes quotidiè utimur, hujuſce divortii particeps non eſt. In urinâ reperitur, & nemo unquam hocce ſal in aliquâ corporis parte collectum obſervavit, quamvis tunc ſtrages æquè funeſtas, ac ſublimatum, ederet.

Quod verò ſpectat ad varias ventriculi, & inteſtinorum eroſiones, quæ ſublimati uſus interni comites individuæ ab aliis dicuntur, ipſis ſanctè aſſerimus, nos eas numquàm obſervaviſſe. Sed caveat ab errore Medicus. Prudenter à prudente Medico tantùm adminiſtretur illud remedium; abſtineat, ſi methodum neſcit. Nonne per hæc clariſſimi Boerhavii verba, promulgata quaſi ſublimati proſcriptio! Ità ſanè abſtineant indocti. Sed non deſunt ſapientes & eruditi in arte viri qui potentiora remedia tractare poſſunt, ipſorum natura, præparationes, & proprietates ab ipſis non ignorantur.

Obſcuriùs ne hâc ætate, latet viſcerum ſtructura, quid poſſint in ingeſta ipſorum motus, & actio? Nonne poſſumus adhuc virium vitæ & medicamentorum effectus ponderare, judicare: quare igitur ſalutaribus auxiliis quibus abuti poterunt imprudentes, cauti non uterentur. Aliter coerceretur ars quæ nullos limites habere debet, & ipſorum induſtria, quæ novis opibus illam ditare ſatagunt, enervaretur. His itàque rationibus, & cum omnes Europæ Academiæ ſublimati ſucceſſus concelebrent, experientiâ aliundè freti fidenter concludimus.

Ergò lui venereæ ſublimatum corroſivum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius LAFISSE, *Chirurgiæ Gallico idiomate Profeſſor deſignatus.*

M. Joannes-Bapt. Michael BUCQUET.

M. Dionyſius PAUTIER DE LABREUILLE, *S. Comitis Gallo-Provinciæ, Medicus Primarius.*

M. Joſephus-Ignatius GUILLOTIN.

M. Ambroſius-Auguſtus BELANGER, *Sereniſſimæ Comitiſſæ Atrebatum Medicus ordinarius.*

M. Natalis-Andræos-Joannes-Baptiſta CHESNAU.

M. Dionyſius-Claudius DOULCET.

M. Carolus-Jacobus-Ludovicus COQUEREAU.

M. Franciſcus-Maria LE MOINE.

Proponebat Pariſiis FELIX VICQ D'AZYR, Valonæus apud Conſtantienſes; Sereniſſimi Comitis Atrebatum Medicus, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H 1774. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1774.